

storis dotibus, in quibus usque a pueris Timotheus instructus fuit. Et propterea Paulus puram conscientiam servare jubet. *1. Timoth. VI. v. 12.* & in hoc quasi charismate niti. DEUS enim in nobis bonum opus cepit, *Phil. I, 6.* Idem operatur in nobis velle & perficere pro suo beneplacito. *Phil. II. v. 13.* Ab illo enim solo est omnis donatio bona & donum perfectum. *Jac. I. v. 17.* qui nos idoneos facit ministros Novi Testamenti *2. Corinth. III. v. 6.*

§. XII.

Ad hoc requiritur etiam, ut minister linguas Christi cruce signatas teneat, Philosophiam, sed sobriam, sciat, ut tempore necessitatis adversus lupos & hæreticos ad gregem sibi commissum defendendum suscipiat & utilitatem S. Scripturæ eruere sciat, quam Paulus *2. Timoth. III. v. 16.* commendat. *D. Ægid. Hunn. Tom. 3. col. 102.* Multo solidius & rectius de sensu Scripturæ poterit statuere, qui vel mediocre notitiam harum linguarum habuerit, quam qui hoc linguarum beneficio destitutus, ab interpretum translationibus, magna varietate inter se discrepantibus, pendet. De Philosophia simile judicium ferimus: debemus enim scripturam ἐρευνᾶν *Job. V. v. 39. ὀρθοδομεῖν 2. Timoth. II. v. 15.* quod absque Philosophiæ auxilio recte fieri vix poterit. Habet enim organa investigationis imperatæ *Matth. XXV. v. 24. sqq. Luc. XIX. v. 20. sqq. conf. Act. XVII. v. 11. 1. Cor. XII. v. 31. 2. Cor. VI. v. 1. 1. Timoth. IV. v. 15. III. v. 13. 2. Tim. I. v. 6.*

§. XIII.

Prohibentur ergo illi a nimio usu postillarum, quibus instar Calendarii perpetui utuntur, ut bene monet *B. Lutherus Tom. 8. Jen. germ. f. 48. χάρισμα & ικανότητα non habent, alios docendi, ut requirit D. Paulus 1. Tim. III, 2. 2. Tim. II, 2. Tit. I, 5.* Debet vero similis esse Timotheo,
B
de